Reſp. *Major eſt particularis*, qvia vox *omnis* hîc non ſumitur *diſtributivè* ſed *collectivè*. *Diſtributivè* ſumitur, qvando ſubjectum diſtribuit ad inferiora, ita ut ad qvodlibet inferius ſingulatim deſcendere poſſimus. *Collectivè* accipitur, qvando non poſſumus ſingulatim ad qvodlibet inferius deſcendere, ſed ad omnia ſimul ſumpta v. g. ſub hâc propoſitione: *O. Planetæ ſunt ſeptem*, non poſſumus ſic deſcendere: *E. Sol eſt ſeptem, & Jupiter eſt ſeptem, &c.* Sed ita: *E. & Saturnus & Jupiter & Mars & Sol cum aliis ſimul ſumptis ſunt ſeptem* vide *Sylvam logic. Sophiſticationum Johannis* Mellinghauſen p. 16. Sic cônclusio: *meus canis fuit in arcâ Noæ*, eſt falſa. Major enim propoſitio revera eſt particularis hoc ſenſu: *qvædam ex ſingulis ordinibus, & ſingulis generibus, ſive ſtatibus animalium, fuerunt in arcâ Noæ.* Ex puris autem particularibus nihil ſeqvitur. vid. pag. 25.

13 *Qvicqvid eſt in meâ domo, eſt in oppido:*
Unicus fons eſt in domo meâ:
E. unicus fons eſt in oppido.

Reſp.